



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 18. Legati responsum ad Cardinalem Tridentinum circa hosce Oratores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

veri rogarent, nec non fidei confessio- Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
nem Synodo exhibere ipsis injunctum  
esset, ut eam Episcopi pro temporis  
opportunitate discuterent, ac unacum  
Protestantium Theologis hac securitate  
munitis, necnon proxime venturis con-  
ferre possent.

### §. XVIII.

#### *Legati responsum ad Cardinalem Tri- dentinum circa hosce Oratores.*

Hac super re Tridentinus Cardinalis  
cum Legato conferebat, hic vero  
eidem mandata, quæ ipsi nuper Ponti-  
fex circa Protestantium postulata trans-  
miserat, exhibuit, atque inter cetera  
eidem hæc exposuit: „Haud toleran-  
„dum est, quod Sectæ suæ professionem  
„exhibere ipsis concedatur, minus ve-  
„ro permittendum, ut illam etiam pro-  
„pugnare audeant; nunquam enim al-  
„tercationibus finis imponi posset: suf-  
„ficit igitur, quod Patres doctrinam in  
„Lutheri libris contentam sedulo exa-  
„minent, illamque, si fidei Catholicae  
„adversam deprehenderint, condem-  
„nent: si vero aliqua dubia Protestan-  
„tes proponere voluerint, id etiam o-  
„mnia eisdem erit integrum, dummo-  
„do modeste, ac circumspecte agant,  
„ac Synodi doctrinam, & monita do-

R 2

, cili



Sæcul. XVI. „cili animo excipere parati sint : porro  
A C 1551. „id , quod promissæ securitatis literas  
„attinet , res prorsus hucusque vix au-  
„dita est , quod fidei ab ipsa Synodo  
„ipsis jamjam datæ fidere dubitent , un-  
„de novas ejusmodi literas , absque  
„Concilii contemptu , ac injuria exige-  
„re haud valent.

Accepto hoc responso Wirtembergi-  
ci Oratores paucis post diebus Franci-  
cum Toletanum , alterum Caroli V.  
pro hæreditariis Hispanici Regni ditio-  
nibus Legatum convenerunt , eumque  
impense rogarunt , ut sua , qua valeret,  
auctoritate Synodum eo inclinaret , qua-  
tenus eorum mandata , ac propositio-  
nes exciperet. Hanc in rem Toletanus  
cum Legato conferebat : verum eidem  
haud aliud responsum quam nuper Car-  
inali Tridentino , datum ipsis Oratori-  
bus referendum impetrare valuit ; qua-  
propter Toletano non aliud supererat  
medium , nisi ut ad necendas moras  
opportunos prætextus , atque excusa-  
tiones quæreret. (\*)

## §. XIX.

(\*) Adeo dubia est hujus relationis fides,  
ut ipse Continuator nullum illius testem alle-  
gare ausus fuerit.